



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. VIII. Vtrùm idem corpus diuinitus poßit esse in duobus locis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

Sed quid in ordine ad apparentiam exteriorum? Respondeo, si haberent diuersas figuras vel colores, sine dubio possent perfectè cognosci & distingui; mitterent enim ad visum species proprias sui: si autem essent eiusdem omnino figuræ & coloris non distinguerentur, propter summam similitudinem; nos enim duas partes albedinis non aliter distinguimus, nisi quia in distinctis locis eas videmus.

SECTIO VIII.

Vtrum idem corpus diuinitus possit esse in duobus locis.

121 NATURALITER idem corpus non posse habere duas vbicationes distinctas, experientia manifestè suadet: huius autem ratio non potest facile alia inueniri, quàm limitata virtus corporis, quod simul non potest eas duas vbicationes recipere. nam id reducere in contrarietatem ipsarum vbicationum inter se, caret probabilitate: quæ enim contrarietas, esse hic & ibi? numquid anima non habet vbicationem in capite & in pede? Et licet auferrentur intermedia vbicationes, numquid propterea illæ extremæ manerent inter se contrariæ? Certè non; ergo id in naturam limitatam subiecti reducendum est. Grauius potest dubitari, vtrum idem corpus cum actuali extensione & impenetratione possit poni diuinitus duobus in locis, id est, vtrum possit habere simul duo vbi circumscriptiua.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia negans, eiusq; argumenta.

122 DIUVS Thomas, D. Bonaventura, Capreolus, & alij, quibus subscribunt omnes Thomistæ apud Suarez Tom. 3. in 3. Partem disputat. 48. lect. 4. quibus etiam adheret Valsquez apud Hurtadum Disput. 14. §. 46. negant id posse à Deo fieri, Primo, quia si corpus idem esset circumscriptiue in duobus locis, simul esset & non esset extra quemlibet illorum, quod repugnat: esset quidem, quia ita supponitur; non esset, quia esse circumscriptiue in hoc loco, est non esse in alio. Hoc argumentum videtur impugnare veritatem Catholicam Eucharisticam: nam Christus in calo est circumscriptiue, ergo non potuit esse in alio loco simul, si vera est probatio aduersariorum; quia esse circumscriptiue in vno, dicit non esse in alio. Respondeo ergo, *vbi circumscriptiuum* non negare, corpus esse alibi, nisi vt summum ratione eius vbi, id est, illud corpus non per vnicum sed per duo vbi in eis locis existere. Dixi *vt summum*, quia nec per vnicum vbi videtur repugnare, poni in duobus locis corpus illud, quod à fortiori constat ex dictis supra, vbi ostendi, non repugnare, fieri simul præsentem vnicam creaturam omnibus spatiis imaginariis per vnicum vbi, & de facto Angeli in multorum sententiâ per vnicum indiuisibile vbi sunt præsentis toti scholæ v.g.

Secundò arguunt: Quia effectus formalis non potest crescere, nisi crescat forma, à qua oritur v.g. non potest quis esse magis calidus, nisi cum maiori calore; sed extensio est effectus formalis

quantitatis, ergo nequit esse maior nisi cum maiori quantitate, ergo nequit esse corpus in duobus locis cum duplici extensione, si vnicam solum habeat quantitatem. Respondeo, extensionem non esse effectum formalem quantitatis, quia rectè potest hæc esse vnita sine extensione, vt patet in quantitate Christi in Eucharistia: oritur ergo extensio formaliter ab vbicationibus unde, si hæc multiplicentur, vel ponatur vna æqualens pluribus, rectè poterit corpus idem poni in pluribus locis cum pluribus extensionibus.

Tertiò: Si posset corpus poni in duobus locis circumscriptiue, ergo & vbique, quod videtur absurdum. Huic argumento feci satis initio Sectionis 7. nunc illud inuerto contra Thomistas, qui saltem definitiue fatentur, posse esse idem corpus duobus in locis, ergo & vbique. Quid autem magis repugnat esse vbique definitiue, quàm circumscriptiue.

Quartò: Quia si idem corpus poneretur in duplici loco, sequeretur, illud diuidi & separari à seipso, quod est impossibile. Sed respondeo Primo, id non sequi in Christo Domino, qui etiam si sit in pluribus locis, non ideo diuiditur à seipso, ergo neque illud corpus; & quoad hoc parum facit esse circumscriptiue vel definitiue. Deinde respondeo, diuisionem dicere non solum distantiam vbicationum, sed etiam distinctionem subiecti, quæ non datur; etiam subiectum ponatur in duplici loco. Vtrum autem propter eas præsentias distantes dici queat à seipso distans, quæstio est de solâ voce. Rem intellige, & modum loquendi quem volueris amplectere.

Quintò: Quia si potest poni idem corpus in duobus locis per duas præsentias, etiam poterit poni in eodem loco per duas, & esse bis aut ter in eodem loco, quod repugnat. Sed & hoc argumento premuntur aduersarij, quia saltem sequetur, definitiue esse posse bis aut ter idem simul in eodem loco. Concedo ergo sequelam, nego autem ipsius absurditatem, vt patet in Eucharistia: potest enim anima Christi Domini sine vilo absurdo in qualibet parte Hostiæ tot habere præsentias, quot sunt partes corporis in eo loco penetratæ, quibus anima est præsens; vtrum autem eas habeat, an vnicam solam, dixi in materiâ de Eucharistia. Secundo respondeo, negando sequelam: si enim est specialis contradictio in duplici præsentia circa eundem locum, non propterea debet negari circa duos.

Sextò: Si idem corpus ponitur in duplici loco, ergo vterque locus est maior re locatâ, quod est absurdum. Hoc argumentum etiam fieri potest contra Eucharistiam, vt intuenti patebit. Deinde respondeo, concedendo sequelam. Quid autem inde? res enim indiuisibilis, qualis est Angelus, potest simul esse præsens spatio diuisibili, v.g. vni leuæ; idem est de animâ rationali in corpore. poterit ergo corpus vnius palmi esse præsens spatio duorum vel trium palmorum.

Septimò: Quia sequeretur, eundem hominem posse simul viuere & mori, peccare & placere Deo, & alia huiusmodi, quæ sunt implicatoria. Vtrum hæc sint implicatoria respectu hominis existentis in duplici loco, dicitur Sectione 10. Nunc aduerte Primo, eandem esse difficultatem in præsentis definitiuis: si enim humanitas Christi existens in pluribus speciebus sacramen-

cramentalibus, careret vnione ad Verbum, etiam posset in vno loco rectè operari, in alio peccare, si id posset cum duplici præsentia circumscriptiua; nam ad hoc per accidens se habet existere circumscriptiue vel definitiue. Aduerte secundò, si illa duo prædicata sint contradictoria etiam respectu plurium locorum, non sequi eò quòd res ponatur in duplici loco, illi posse ea prædicata conuenire; vnde argumentum est vndeque imbecille.

128 P. Vasquez his argumentis dissidens, aliud affert fortè non fortius, quod benè dissoluit Hurtadus à §. 13. est autem hoc: Si lapis poneretur extensus in duobus locis, sequeretur, quòd posset naturaliter moueri duobus motibus contrariis: hoc autem repugnat, ergo. Pater sequela: quia si poneretur supra duas extremitates asseris in alto, & asser auferretur, eaderet in vtraque parte, quia in nullà potest detineri in aère. Sed hoc argumentum retorqueo euidenter contra eundem Vasquez, quia saltem definitiue potest corpus esse in duobus locis, hoc est, si partes illius inter se penetrarent. Pone ergo lapidem ad punctum penetratum in duobus illis asseribus extremis, aufer asserem, eodem modo caderet lapis: nam grauitas redacta ad punctum etiam grauat ad centrum; imò fortè melius quàm si esset extensa, quia non possunt alia corpora ita illi resistere.

129 Dicit fortè: Si partes sint penetratæ, non possunt moueri naturaliter, quia acquirerent nouam penetrationem, quod repugnat. Bona solutio, sed eam ego capio pro me, & dicam, si quantumuis grauitas lapidis pellat illum deorsum, hæret tamen lapis in aère, quia non potest de nouo acquirere penetrationem quæ est miraculosa. Eodem etiam modo respondeo, lapidem extensum detineri in aère, quia cum duæ vbicationes sint miraculose, non habet ipse virtutem alias duas acquirendi, sed vt summum illam, quam habet naturaliter, permittit, aliam verò retinebit, non quidem ipse eam conseruans sed Deus miraculose. Ratio à priori est, quia sicut illæ vbicationes conseruantur in fluxu saltem quoad modum supernaturali, ita non possunt naturaliter destrui; imò etiam possent naturaliter destrui, non tamen possent acquiri duæ aliæ vbicationes supernaturales loco illarum, Et hæc est euidentissima huius argumenti solutio.

130 Secundò: Si adhuc velis, posito primo miraculo, dari vires in lapide ad duos eos motus, transeat. Sed dicas etiam eos naturaliter fieri, nec id esse absurdum, quia per miraculum datæ sunt vires ad eos motus, quos sine miraculo prius non poterat, sicut idem subiectum non potest producere sensationem magni caloris & frigoris, si tamen diuinitus Deus in eo subiecto summum calorem & frigus summum poneret, posset mea manus illud tangens, species vtriusque simul accipere, & de vtroque simul in eadem parte sensationem elicere. Quòd si non vis, posito eo miraculo in nostro casu dari vires ad secundum, quid ergo miraris, si secundum non sequatur naturaliter ex primo? Nec video, quid hic possit amplius vel probabiliter vrgeri: nec enim potest dici, duo contradictoria sequi, nam contrarium ostendo euidenter. Si enim grauitas sola sufficit ad duos motus, quando est in duobus locis, folium sequitur posse se mouere, quia dantur om-

nia requisita; non verò sequitur etiam non posse. Si verò vbicationes illæ impedian, eò quòd sunt supernaturales, præcisè sequitur, non posse, non ergo vtraque contradictionis pars sequitur. Hæc solutio secunda est cornuta ad hominem, prima autem est absolutè vera.

SUBSECTIO SECUNDA.

Potest idem corpus etiam circumscriptiue esse in duobus locis.

SENTENTIA ergo affirmans communis, & vera est. Eam defendit P. Suarez tom. 3. in 3. Partem, disput. 48. sect. 4. vbi pro eà refert Scotum, Richardum, Alex. Gabrielem, & alios; P. Hurtadus supra, Gregorius de Valentia Tom. 4. disput. 6. quæst. 3. puncto 1. §. 23. vbi docet, oppositam reiici à Catholicis vt minus congruentem veritati Fidei de mysterio Eucharistiæ, quod non videtur vllatenus defendi posse, si negetur, à Deo posse idem corpus circumscriptiue duobus in locis collocari: quia (vt vidimus) eadem difficultas est de vbi definitiue, ac de circumscriptiue. Et hoc sit primum pro hac sententiâ fundamentum. Secundum sit, quia id non implicat contradictionem, vt vidimus supra ex oppositorum argumentorum solutione; ergo poterit à Deo fieri. Tertium, quia videtur magis repugnare, tolli à quantitate vbi circumscriptiue, quod est passio illius, quàm illi addere duo vbi; primum enim est eam denudare propriâ passione, quod est difficilius, quàm illi addere duas passiones: atqui potest quantitas poni sine vbi circumscriptiue, vt patet in quantitate Christi existente in speciebus Sacramentalibus solum definitiue, ergo poterit poni cum duobus vbi circumscriptiuis. Quartum, quia duo contraria possunt simul esse in eodè subiecto diuinitus, ergo & duo vbi circumscriptiua, quæ solum possunt repugnare inter se, quia contraria; & neque hoc habent propriè (vt dixi initio Sectionis) solum enim de facto contingit ex limitatione virtutis in subiecto; hæc autem limitatio potest diuinitus suppleri à Deo. Confirmatur: duæ vbicationes distinctæ nihil aliud sunt, quàm duo accidentia adæquata eiusdem subiecti: at Deus potest dare diuinitus eidem subiecto simul duos calores, vt octo v. g. & duas quantitates, ergo poterit dare & duas vbicationes circumscriptiuas. Nec potest assignari quoad hoc disparitas vlla inter duo vbi, & duos calores vtroctò.

Tandem hæc veritas confirmatur multis historiis Ecclesiasticis fide dignissimis, in quibus narratur de multis Sanctis, qui simul & semel in eadem figurâ & extensione verè in duobus locis extiterunt, vt de S. Antonio Paduano simul in pulpito concionante, & in Monasterio Lectionem cantante in choro, de S. P. N. Franc. Xauerio in duabus aut tribus occasionibus, & de aliis multis.

Aduerte, à nonnullis doceri, non posse idem corpus duobus in locis poni, nisi per reproductionem substantialem; quæ sententia omnino est improbabilis, Primò, nam posita reproductione, adhuc debet dari alia actio productiua vbicationis; nam reproductio eadem est, siue hic siue alibi fiat. Secundò, quis diceret, quando anima nouas acquirit partes materiæ, vel quando Angelus se dilatat, tunc eam reproduci? Tandem

133 dem: quia nulla est talis reproductionis necessitas. Pro quo aduerte, hos etiam docere, tunc ibi in corpore produci nouam virtualitatem, realiter tamen identitatem. Sed hanc milles reieci tamquam imperceptibilem, & viam ad omnem distinctionem realem negandam. Ratio à priori, cur talis reproductio non requiratur, est, quia poni in duobus locis, nihil aliud est, quam accipere duas vocationes: sicut si diuinitus acciperet duos calores vt octo; ad hoc autem quid est necessarium, vt subiectum reproducatur? Fufius de hoc egi Disputatione III. de Eucharistia, à num. 8.

SECTIO IX.

*Quæ accidentia possit habere vtrobiq;
corpus existens in duobus locis.*

ALIIQA sunt accidentia corporis alligata essentialiter huic spatio, scilicet hoc vbi, actio & vnio illius; & hæc non possunt poni in duobus locis, quantumuis eorum subiectum in pluribus ponatur. Quæstio igitur est de his formis accidentalibus & substantialibus, quæ absoluuntur à loco, de quibus quarimus, an necessario, vel saltem connaturaliter debeant poni, vbi cumque fuerit eorum subiectum.

PRIMA CONCLUSIO. Idem corpus quantumuis ponatur in duplici loco, non potest naturaliter habere accidentia contraria in gradibus intensis, non secus ac si esset præcisè in vnicò loco. Probatur, quia incapacitas ad ea accidentia provenit ex contrarietate eorum, aut ex defectu virtutis ex parte subiecti; hæc autem contrarietas non tollitur per duas præsentias, ergo ratione illarum non habet virtutem vt possit recipere accidentia contraria. Præterea, duæ vocationes non augent vires subiecti, quia Petrum v. g. esse in duobus locis, non facit illud esse duplex subiectum, sed idem cum duplici formâ vocationis, ergo non facit, vt ille habeat maiorem virtutem quam antea aut accidentia minorem contrarietatem inter se; sicut licet ponerentur diuinitus in Petro duæ formæ contrariæ, calor v. g. & frigus in summo, non ideo augerentur eius vires in ordine ad accidentia opposita. Rationem à priori hanc ego reddo, quia vbiatio non est virtus, nec ratio formalis ad recipiendam albedinem vel frigus v. g. ergo eò quòd vbiatio multiplicetur, nõ additur virtus ad plura accidentia caloris, &c. Sicut quia color non est virtus calefaciendi, licet Deus infinitos colores homini adderet, non ideo esset magis calefactiuus. Vnde infero, quantumuis applicaretur ei subiecto in vnâ parte summus calor, in aliâ summum frigus, non ideo in vnâ summè calefaciendum, in aliâ summè infrigidandum; sed illa duo agentia attemperanda, non secus ac si passum solum in vno loco existeret, & ibi illa duo applicarentur, vnde produceretur in eo subiecto vtrobiq; calor & frigus vt quatuor.

135 Hæc Conclusio à fortiori intelligenda est de actibus odij & amoris, assensus & dissensus circa idem obiectum, qui magis repugnant inter se quam calor & frigus, vt infra ostendetur. Vtremus hæc Conclusio intelligenda est de duplici motu locali, quem simul non potest habere corpus illud existens in duplici loco: licet enim, eò

quòd moueretur in duplici loco, nõ haberet plura vbi, quam si quiesceret, quia tamen ipsum non conseruat illa duo vbi, sed alterum illorum, aliud verò conseruatur à solo Deo supernaturaliter, non potest vtrumque pro suo libitu deperdere, & commutare, sed præcisè illud quod naturaliter ab ipso conseruatur; ideoque etsi duo agentia extrinseca violenter illud corpus vellent in vtroque loco mouere, non magis possent, quam si simul me hic vellent duo homines mouere motibus contrariis, vnus ad Orientem, alter ad Occidentem, quod naturaliter est impossibile.

SECUNDA CONCLUSIO. De potentia absolutâ 136 potest Petrus in duobus locis habere omnia accidentia opposita, quæ simul potest habere si præcisè esset in vno. Hæc est certissima, quia esse in duplici loco, sicut non auget, iuxta suprà dicta, virtutem subiecti, ita nec minuit; & sicut subiectum potest in duobus locis poni, ita & forma.

TERTIA CONCLUSIO. Non potest de potentia absolutâ Petrus hic odio habere aliquod obiectum, & illud Romæ amare, hic assentiri, & dissentiri Romæ: & suppono, hos assensus nec de potentia absolutâ posse simul coniungi cum Petro in vnicò loco. Hæc est contra nonnullos, censentes, diuersitatem locorum æquivalere diuersitati temporis, ac proinde sicut diuersis temporibus potest quis amare & odio habere idem obiectum, assentiri & dissentiri illi, ita etiam posse in diuersis locis in vno peccare, in alio dolere de peccato, &c. quia non sunt contradictoria, hic amare & Romæ non amare, ergo neque hic amare & Romæ odio habere.

Vt radicatus hæc opinio reiiciatur, & nostra 137 Conclusio confirmetur, aduertendum est (vt suprà dixi) per duas vocationes non reddi subiectum duplex vel maioris virtutis, sed tantum reddi informatum duplici præsentia inter se distanti: sicut, si in hoc eodem loco haberet duas præsentias distinctas, indistantes tamen, non esset duplex subiectum, nec haberet duplicem virtutem magis, quam si vnicam haberet præsentiam. Ex quo infero manifestè, illum hominem non posse simul amare & odio habere idem obiectum, magis quam si vnicam haberet præsentiam, aut in vnicò loco duas vel tres; quia distantia aut multiplicatio præsentiarum non facit eos actus odij & amoris opponi minùs inter se, nec facit subiectum esse duplex, aut habere maiores vires. Et hinc patet solutio manifesta ad rationem in oppositum. Ad exemplum de diuersis durationibus facile respondetur, disparitatem in eo consistere, quòd cum illæ diuersæ durationes non sint simul, sed vna post aliam, æquivalent duobus subiectis: vnde Petrus v. g. heri & hodie potest ferre pondus, quod simul non nisi duo homines ferre possunt. Et ratio à priori est, quia quando fertur vnum pondus vnâ existente duratione, propriè non fertur aliud, sed feretur, vel latum est, quæ est denominatio purè extrinseca in ordine ad tempus præsens. Illæ tamen duæ diuersæ vocationes cum sint simul, & aliunde nihil addant virtutem subiecto (nam incapacitas huius ad formas contrarias, vel defectus virtutis ad ferenda v. g. maiora pondera, est in ordine ad tempus idem, seu in ordine ad simul habendum eas formas oppositas) & hæc simultaneitas non tollatur per diuersas vocationes, inde fit, vt per 138 illas